

SECTIO IV.
SIVE APPENDIX
DE
**DIVERSIS TEMPO-
RIBUS PRÆSCRIPTIONUM
TAM RERUM, QUAM JURIORUM ET
ACTIONUM.
INGRESSUS.**

Materiam præscriptionis juriorum pariter & rerum, juxta seriem temporum disposuisse, non novum studium est, sed a multis hæcenus ob utilitatem negotii susceptum. Primus omnium fuit *Enstathius Antecessor*, qui librum græcum edidit *de temporalibus intervallis*, a momento usque ad 100. annos, quem librum una cum versione latina refert *Jo. Leunclavius in Jure Græco-Romano Tom. 2. p. 207.* Græce eum exhibet sine versione *Cujacius*, in fine tractatus mox citandi. Exstat etiam ejusdem libri versio latina *Simonis Scharidii*. Inter Latinos juris interpretes de hac materia egit *Cynus de Muxellis*, vel *Muxellanus in tr. de Præscript.* Plenius autem hanc materiam exposuit *Johannes Oldendorp. tract. de temp. præscript.* In specie vero circa præscriptiones annales, ejusque varia exempla investiganda sollicitus fuit *Quintil, Mandosius in tr. de casib. annal.* Postea etiam *Jac. Cujacius* hanc materiam exposuit in *tract. de divers. temporum præscript. & term.* Pariter quoque magno tractatu hanc materiam illustravit *Johannes Carolus Antonellus de tempore legali.* Sicut & utilia pariter & curiosa circa hanc materiam congestit *Albericus Gentilis Tr. de divers. tempor. appellat.* Ex quibus recentiores *Dd.* hauserunt, quicquid de hac materia proposuerunt. Nos tamen occasione materiae de præscriptione actionum, hac vice per compendium, & quasi per indicem hanc materiam proponemus; sed omissis inutilibus, & additis utilibus, præsertim ex *Recessibus Imperii*, ab aliis neglectis. Sit ergo
MEM-